



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Devonii Oratoris Et Philosophi
Ingolstadiensis Panegyrici Dvo**

Turner, Robert

Ingolstadii, Anno M. DC. IX.

Robertvs Tvrnervs Antonio VVelsero S. P. D. Monachivm. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69598)

non patiar exuri. in hanc si tu mecum sententiã iudicaris pedibus, ô me felicem, qui PETRUM è tantis tenebris eduxerim, in tantam lucem vindicauerim. neque tamen hoc tempore quenque tibi prasinio, quem imiteris, imitare quemcunque, imitare quacunque, modò ad imitationem Erasmi, Politiani, Barbari, imitationis vires non coneris labefactare. si Ciceronem dixero dignum esse, qui à quouis exprimat, cuius si quis extremas lineas assequatur, hunc esse in orationibus numerandum; quid est, cur naturam tam luculentam iniuria violes, vt illam nouercam appelles, vis natura legem euerti, qua in vna cuiusuis generis re perpolianda suas omnes vires effundit, vt possit hominibus, intento quasi digito, indicare id quod potest in singulis optimum? si Ciceronem in literis latinis hunc optimum constituerit, nouerca tibi pessima videbitur? superiorem designa, ego profectò de meo tibi iure remitto. Vale.

ROBERTVS TURNERVS
ANTONIO VVELSERO S.P.D.

MONACHIVM.

XI.

ME languere de via, languere desiderio Monachij, languere amore tui, nihil est quod scribam, nisi velis fortasse scribi, quae nec cupio, ne ineptus sim; nec

debeo, quia in via sum. breuiter tamen, uiuo, ut putes
 memori; morior, ut cupias me uiuere. illud mea vale-
 tudinis est fracta, hoc tui amoris integri, ut sanè cu-
 piam illo modo mori in TURNERO, ut possim hoc
 modo uiuere in WELSERO. caussam si quaero, eli-
 cio vel sympathia communem, vel beneficij certam,
 vel doctrina iustam, vel pietatis grauem. sed sympha-
 tia non est, quia multorum careo agnatis naturis,
 tua vix careo; beneficium non est, quia multi me af-
 fecerunt multis beneficiis, in quos tantùm feror me-
 dius, in te effundor totus; doctrina non est, contemno
 Medinas, te nisi feram in oculis, ipse me non fero in
 pectore; pietas non est, quia stultum est, aut vti ser-
 mone, aut frui consuetudine omnium, qui florent
 pietate. quid ergo est? si rem velis, amor est; si caussam,
 omnem quaero, nullam eruo. hem siste te parumper,
 venit in mentem caussa, qua si non placet, nimis es ri-
 gide Philosophus. scribunt, qui profitentur illas inte-
 riores literas, id esse discriminis inter intelligentiam
 ac voluntatem, quòd intelligentia quas comprehen-
 dit res, ita secernat à concretionem, ut res faciat simi-
 les sibi; voluntas ita in res, quas consecratur, effun-
 ditur tota, ut se faciat similem rebus, vnde cum a-
 mor sit voluntatis, nihil mirum, si cupiam esse vel to-
 tus TURNERVS totius WELSERI, vel medius
 TURNERVS medij WELSERI, vel TURNERVS
 ac WELSERVS tam affabrè confusus in vnum, ut
 nec TURNERVS possim iuste, nec WELSERVS
 x 2 velim

velim verè, sed debeam aptè TURNERO VEL
 SERVUS dici. vide monstrum, ama mentem, qua hoc
 parit. hæctenus quod fuit amoris, nunc quod est ne-
 cessitatis. hunc tabellarium, quem accepi famulum,
 remitto, rogo vt S. significes remissum esse, non quid
 quicquam fecit præter honestatem aut decorum, sed
 quod non utilis videbatur meis rebus, cum Principe
 me in curru, alterum eiectum constituerit in equo. de
 vestibus S. viderit. quod si quid in actione hac putet à
 me factum imprudenter, depinge me illi sincerum,
 candidum, immunem à culpa siue originali siue a-
 ctuali (vt loquar Theologicè) hac in parte. adde quos-
 dam esse egregiè obmurmuratores de duobus famulis.
 volui refecare hanc occasionem. quod si alius est asci-
 scendus, facile asiscam vnus aut alterius dies homi-
 nem, politum, prudentem, valentem vsu rerum. hi
 autem, quem remitto, id tantum habet, velle omnia
 posse nihil. nam si ineptum quæris, ecce tibi hominem,
 adde etiam plumbeum, aut si quid sit plumbo obtu-
 sius. reliqua, sincerus est, æ quantum colligo, expertus
 fraudis. de aula illius Episcopi hæretici? nihil habet
 Ballionum & Gnaronum, est pulchrè sericata, cathe-
 nata egregiè, in reliquis deniq; ita sancta est, vt ma-
 lit obtegi suam sanctitatem, quàm videri hypocri-
 tam. rides ironiam meam? amote na-

fululum. Stutgardij. M. D.

LXXI.

EIDEM.